
JOSEPHUS
VENDITUS.
TRAGOEDIA,


ACTA
LUDIS PRIORIBUS
ANNI MDCLXXXXVIII.
In Regio LUDOVICI MAGNI Collegio
SOCIETATIS JESU.

Auctore GABRIELE FRANCISCO LE JAY,
ejusdem Societatis Sacerdote.




PARISIIS,
Apud ANTONIUM LAMBIN, viâ Jacobæâ,
sub Speculo.

M. DC. XCVIII.
CUM PERMISSU.



ILLUSTRISSIMO VIRO
CHRISTIANO FRANCISCO
LAMONIO
IN SUPREMO
GALLIARUM
SENATU
PRÆSIDI INFULATO.



Uem habere JOSEPHUS *Patronum impensius ambiat*, VIR ILLUSTRISSIME,

quam eum, quem Æquitas ipſa tanto Reipublicæ commodo multos per annos patronum experta eſt; & quem ereptum ſibi etiamnum doleret acerbius, niſi de patrono Æquitatis, ejuſdem arbiter ac judex factus eſſes.

Fuit primis vitæ temporibus adeo infelix JOSEPHI *conditio, malevolorumque odiis & obtrectationibus ita obnoxia, ut, qui contra vim gratiamque patrocinaretur innocentiæ ipſius ac ſolitudini, haberet neminem.*

At nunc meliorem illi ſortem audeo polliceri; ſi tuo

frui patrocinio possit. Quin etiam, si minus bene defensus á nobis JOSEPHUS videretur; tu pro solerti tua perspicacia, & singulari æquitatis studio faceres, quod in difficilioribus intricatisque controversiis factitatum à te Curia toties suspexit, ne quid ex formularum vitio ipsa causæ bonitas detrimenti caperet.


Id igitur beneficii JOSEPHUS a te flagitat enixe, & orat, VIR ILLUSTRISSIME, *ut adhuc patronum agere te causa sua, si res ita postulet, minimè pigeat. Tribues illud autem, uti sperat ille,*

tum merito suo, tum nostræ erga te observantiæ, quam fore perpetuam ex animo profitetur,

* *

VIR ILLUSTRISSIME;

Tibi deditissimus, GABRIEL FRANCISCUS LE JAY, è Societate JESU.



PRÆFATIO.

PRODIT iterum Josephus in theatrum, non, ut ante, matura jam ætate vir, & acceptas olim injurias agnitis fratribus amanter indulgens; sed junior adhuc, & fraterna invidia venditus.

Hunc saltem habuit calamitatis suæ fructum Josephus, dum luctuoso illo apparatu exhiberetur in scena, ut frequenti lectissimorum hominum conventu, plurimorum animos commoverit; e quibus aliqui pro sua apud me auctoritate fe-

cerunt, ut priori Josepho, quem exhibuimus in gratiam cum fratribus redeuntem, alter iste ab iisdem proditus jungeretur.

Nota est ex sacris litteris historia. Josephus Jacobi ex Rachele filius, cum plus ceteris fratribus amaretur a patre, magnam eorum in se concitavit invidiam: ad quam cum accessissent novæ ex enarratis somniis, quæ Josephus viderat, odiorum causæ; statuerunt illi primum fratrem occidere. Mox dissuadente Rubeno, cum Josephum in cisternam dejecissent, eumdem postmodum hortante Juda Ismaëlitis vendiderunt.

Tribus hæc tragœdia Actibus circumscribitur: sic enim

res ipsa, quæ exhibetur, postulat: cum sit illa ejusmodi, ut, ad plures actus si extendatur, celerem satietatem haud dubie scena sit habitura.

Hic verò trium actuum modus, quamvis neque a veteribus, neque a recentioribus usurpatus esse in tragœdia videatur, ipsa tamen actionis Dramaticæ natura & conditione nititur. Constare enimverò illam tribus omnino partibus Aristoteles auctor est, principio, medio, atque fine. Quæ si totidem planè Actibus repræsentari commodè possint; adeo ut suam actus quisque partem integram exhibeat, quis demum id reprehendat? cum præsertim illa brevitas occurrat ei fastidio, quod est sæpe con-

junctum cum Episodiis, hoc est cum narrationibus illis aut eventis extra argumentum assumptis, quibus actuum quinque tragœdia interdum non caret.

Nihil hîc porro adjectum est historicæ veritati, præter unum Rubeni somnium; quod introïtum Dramati ita sufficit, ut inde Josephi fratres occasionem arripiant suos de Josepho sensus proferendi liberius, & ejusdem interficiendi consilium capiant. Nec caret autem omni similitudine veri hoc somnium; quippe quod accidisse Rubeno jure credi ex eo potest, quod in Josephum conjurasse fratres inaudisset.

Potuere etiam suæ Jacobo partes in hac fabella tribui absque

nullo metu reprehenſionis; cum minimè fidem ſuperet, poſt miſſum à ſe ad fratres quæritandos Joſephum, ſenem veritum, ne quid infortunii eidem a fratribus accideret, quos ei ſciret infenſos, quadam quaſi præſagitione admonitum fuiſſe, ut diſcedentis a ſe Joſephi inſtaret ipſe veſtigiis.

Reſtat ad complectendam totam Joſephi hiſtoriam, ut hæc quoque pars vitæ prodeat, quæ ſolutum vinculis, egreſſumque e carcere, ac totius Ægypti adminiſtrationi præpoſitum repræſentet: quod quidem argumentum, ſi Deus faverit, etiam in theatrum dabimus, ne quid omiſſum a nobis hac in parte videri poſſit.



ACTORES.

JACOBUS undecim filiorum parens.

FILII JACOBI

EX LIA.

RUBENUS,	SIMEON,
LEVI,	JUDAS,
ISSACHAR,	ZABULON.

EX RACHELE.

JOSEPHUS.

EX BALA.

DAN, NEPHTHALI.

EX ZELPHA.

GAD, ASER.

MERCATOR Ismaëlita. HIRAS nuncius.

SCENA

In Agro Dothain Chananæorum.



Extrahentes eum de cisterna Vendiderunt Ismaelitis. Gen. 37.

M. Corneille inv. *J. Mariette Sculp.*



ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

RUBENUS

In gramine dormiens ac somnians.



ECQUID paratis ? non pudet tantum scelus
Agitasse, Fratres ? ... non feram ; attestor Deum ;
Josephe, nullum teste me fiet nefas,
Ne dum volente ... siccine ... ah ! ... quo vos furor ?
Per, si qua pietas : Gad, Levi, Simeon, Aser, ...
Huc ferrum & iras ferte ; supplicium luat
Rubenus ; odia placet effusus cruor ;

At innocenti parcite...*Eheu!quid loquor?
Ubi sum?...quis artus horror attonitos quatit,
Hebetatque sensus? ...Vanus illusit sopor:
Nihil pericli est; vigilo ... proh!qualem mihi
Se se videndum frater infelix dedit!
Meminisse refugit animus; & quamquam gravi
Cura solutus, aliquid etiamnum timet.
Dirumne quiddam visa per somnos canunt
Portenta? triste fallat augurium Deus.
Sed aperta terrent odia... Josephum malus
Vetusque dente livor inviso petit?...
Quò suspicaces distrahunt animum metus?
Male ominari parce; vel tales piget
Versare sensus; tanta, sic equidem reor,
Fraterna nunquam in corda barbaries cadet...
At ecce fratres concito accelerant gradu:
Auditus inde, sentio, attonitos sonus
Excivit, & me, quid velim, cupidi parant
Rogare: belle est; si quid abstrusum tegant,
Tacitive puero forte meditentur malum;
Qua scitari liceat, inveni viam.

* Evigilat.

SCENA SECUNDA.

RUBENUS, LEVI, SIMEON, GAD, ASER.

SIMEON.

QUid eſt, Rubene ? quid ope fraterna indiges ?
Vicina latè nemora, rupeſque & lacus
Sonuere planctu flebili ; eloquere ; adſumus
Prompti ſubire quamlibet pro te aleam.
Quæ te remordet cura ? quid quereris ?

RUBENUS.

Nihil.

LEVI.

Sed ille ſolitum præter inficiens genas,
Turbanſque pallor ora, diſſimules licet,
Loquitur, Rubene.

GAD.

Numquid exiliens ſpecu
Somno occupatum forſan invaſit fera ?
Nil te fateri pigeat.

ASER.

Hic certe metus
Vel in virum quandoque constantem cadit.

RUBENUS.

Fatebor equidem, placida cum fessos quies
Pressisset oculos, ægra sollicitos metus
Fecere monstra, somnum & excussit pavor.
At propria non me causa, sed capiti imminens
Incendit animos grande fraterno malum.

SIMEON.

Quid loqueris ? eheu ! dura quem tandem petant,
Vel quid minentur fata, quamprimum doce.

RUBENUS.

Confide, Simeon, Fratris in tuto est salus;
Cessit periclum : pulsus ex oculis sopor;
Simul & timorem pepulit.

ASER.

Hoc demum juvat,
Rubene, cùm nocere jam nequeunt mala,
Eadem intueri propius.

RUBENUS.

Æternis, precor,
Hæc premere tenebris liceat.

GAD.

An fratri invides
Blandum hoc levamen, frater; ut facti memor,
Tibi ille, nostrûm quisquis est, grates ferat;
Quas tanta pietas, tanta promeruit fides?

RUBENUS.

Omitte; fratris nota jamdudum indoles;
Acui nec istis indiget stimulis amor.

LEVI.

Parce ipse, frater, nectere ulterius moras;
Dum nostra differs gaudia, irritas magis.

SIMEON.

Imo, imo: gravius quisque sibi metuit malum
Quodcumque nosti, dum taces.

ASER.

Fare, obsecro,
Rubene; & ultro, quod petunt cuncti, annue.

RUBENUS.

Nil vos morabor; quando sic libitum est, loquar.

Dum læta pascunt arva lanigeri greges;
Fagi sub umbra stratus agresti toro
Blandum otiabar : vultus in somnum cadit ;
Et fessa cervix capite submisso labat.
Mox dira species interim se se objicit,
Turbatque mentem:proximo exurgens specu
Hinc inde subito multa Josephum fera
Circumstat, avidisque immerentem dentibus
Laccrare, & alvum condere in vastam parat.
Me rigida pueri fata, me fratris vices
Somnos vel inter,ut potens amor est,movent.
Accurrere ultro visus, & voce ac manu,
Quacumque fas est, funus indignum arceo.
At frustra in omnes unus obluctor feras,
Jam cedo;fratrum tunc ego inclamans opem,
Evigilo : somnus & timor pariter fugit.

SIMEON.

Utinam feras pavisset invisus puer!
Nec falsa nobis gaudia illudens sopor
Dedisset!

RUBENUS.

Aures quis mihi læsit sonus?
Hæc vota facias?

LEVI.

Quid juvet tanto ambitu
Vovere, vel quid veniat optandum magis,
Quàm si cruenta raptus, ut meruit, nece
Puer protervus liberet fratres metu?

RUBENUS.

Heu! quid ais?

GAD.

O si medius immanes lupos
Inter, vel ursos parte sylvarum avia
Mihi se obtulisset! ut ego terribiles feras,
Avidam ut cruoris ipse stimulassem sitim!

ASER.

Ut monstra desint ista, nil, frater, moræ est:
Meus hic ferarum mucro præstabit vicem.

RUBENUS.

Ah! parce. Quo vos odia lymphatos agunt?
Hæc sapere fratres deceat, hæc deceat loqui?

SIMEON.

I, perge, frater; turpe servitium exhibe
Major minori, quando servire haud piget.
Da somniorum compos, & voti reus

Josephus ut sit : sequere fraterni impetum
Amoris ; insta , rumpe difficiles moras ,
Etiam anteverte fata : nos domini pudet
Et servitutis.

LEVI.

Hic mihi sensus placet,
Hic animus : &quocumque res vertat, jugum
Excutere certum est.

GAD.

Macte : properato est opus ;
Frater ; timoris ni statim causam amputas,
Sero venit medela , cum crevit malum.

LEVI.

Confide ; si qua se mihi pandet via ,
Violata fratrum jura quid possint , sciet.

RUBENUS *seorsum.*

Quæ læsa queritur jura !

ASER.

Nobiscum adforet
Utinam ! paternis dum procul laribus greges
Agitamus.

SIMEON.

Oculis nempe dilectum magis

Vitaque puerum longius patiens ferat
Abesse genitor ?

GAD.

Turba dum fratrum exulat ;
Ut ille patrio pendulus collo interim,
Tenerosque solus inter amplexus senis
Secura captat gaudia !

ASER.

Hæc furtim aucupans
Puer malignus tempora, imponit patri ;
Turpique fratrum nomen aspergit notâ.

LEVI.

Nec inane tanti præmium sceleris tulit
Delator : isthæc tunica, qua fratrum in grege,
Velut inter ignes luna nocturnos micat,
Conviciorum scilicet merces fuit.

RUBENUS *seorsum.*

Proh ! quanta livor degener cudit mala !



SCENA TERTIA.

RUBENUS, SIMEON, LEVI, GAD, ASER, DAN, NEPHTHALI.

DAN.

O Læta demum fata! votorum caput
Attigimus: odiis ponet hic finem dies,
Metuſque ſolvet.

LEVI.

Fare, quid portas novi?

DAN.

Sperare quem vix liceat, inopinum fero
Vobis mihique nuncium: en ſe ſe objicit,
Et ſponte noſtros properat in caſſes fera.

GAD.

Aperta loquere, frater, & mentem explica.

DAN.

Tumulo e propinquo viſus, & celerem gradum
Joſephus ad nos urget, haud quiſquam additus
Puero viarum ſocius aut fidus comes.

Exigere pœnas ſi lubet, facilis datur,
Quem poſtulamus eſſe vindictæ locum.

RUBENUS *ſeorſum.*

Tutor piorum fulmen averte, ô Deus!

NEPHTHALI.

Eia agite, Fratres; noſtra nunc ſe ſe explicent,
Palamque monſtrent odia: moriatur puer;
Meritoque tandem ſomnia exitio luat.

ASER.

Ad omne facinus, ne time, quotquot ſumus,
Habes paratos.

LEVI.

Cauſa communis fidem,
Animumque poſcit, atque communem manum.

SIMEON.

Laus prima facti, me manet primum decus.
Ibo, ibo; ne vos pigeat auctorem ſequi.

RUBENUS.

Ah! video: pueri fata jam pridem ultima
Juraſtis: iſte crevit ex longo furor,
Vitam innocentis qui petit.

GAD.

Nempe innocens
Joſephus?

RUBENUS.

Ecquod, dicite, admiſit nefas?
Quid impotentes armat in fratrem manus?

LEVI.

Inviſa nobis ſomnia obtrudat puer
Impune?

SIMEON.

Veri ſcilicet ſi quid crepat,
Acerba fratres ſervitus, regnum hunc manet.

RUBENUS.

Nam cur malignam ſomnia in partem trahis?

SIMEON.

Non ergo reliquos undecim elatus ſuper
Pueri maniplus, iſta deſignat ſatis?
Non Luna Matrem; Solque ſignificat Patrem?
Undena Fratres aſtra; quæ puerum colunt,
Et ſomniantis prona venerantur pedes?
Ad hæc reſervor?

RUBENUS.

Somnia incutiunt metus;
Simulacra veri caſſa, quæ mendax ſopor
Extudit, & orta protinus pellit dies?

LEVI.

Tamen hinc ſuperbit puſio; hinc grandes gerit
Animos, & altas ſpes fovens jam tum in ſinu,
Etiam in parentes regium affectat decus.

RUBENUS.

Id quereris? hoc tu ſeriò fratri objicis?
Sic notus animus, ſic tibi nota indoles?
Quin agite potius; redeat in mentem, precor,
Ut docilis ultro, candidus, comis, bonus,
Ut fraudis expers ſubdolæ, & blandum obſequens,
Fraterna placidus ſæpe pertulerit probra!

GAD.

Hac nempe larva tectus, hoc fuco nitens
Puer doloſus, credulum captat patrem;
Fidemque probris atque maledictis facit.

RUBENUS.

Vox ſi qua, Fratres, temere Joſepho excidit;
Peccavit ætas; animus at culpa vacat.
Scrutatus ipſe cordis arcanos ſinus,
Vidi & videre placuit, ut pietas, fides,
Sincerus ut ſe prodat in fratres amor!

Omitte, certis odia patuerunt notis.
Sed noſſe gratum eſt : ille placuiſſet minus,
Si nos amaſſet : noſtra nil deinceps vetat
Explere pariter odia, dum certa ultio eſt,
Dum fas nocentem perdere.

NEPHTHALI.

Et lenti moras
Trahimus inertes ? ire in occurſum juvat;
Ne præda noſtras forſan effugiat manus.

GAD.

Rectè admones, eamus....

RUBENUS.

Ergo ſic ratum eſt,
Peribit ? ... Et vos cura nil retinet patris ?
Penſate, quantus obruet miſerum dolor;
Cecidiſſe fratrum ſcelere cùm natum audiet.

DAN.

Fingemus illum peſſima abſumptum ferâ.

RUBENUS.

Fingetis ? ... Eheu ! grande ſolamen mali,
Dum miſera ſobolis fata lugebit parens,
Si noſſe luctus nequeat auctores ſui !

DAN.

Ille, ille fructum pariet ingentem dolor.

RUBENUS.

Quis ille fructus?

DAN.

Et patrem & nos eripit
Justa peremptus morte Josephus jugo.

RUBENUS.

Etiam nefanda præmium impietas petit?
Spes hæc nocentes ludat? ah! potius graves
Timete pœnas: aliquis est cœlo Deus:
Idemque fieri prohibet ac plectit nefas.

SIMEON.

Absiste: frustra es; plura ne incassum objice,
Adeste, Fratres.....

RUBENUS *cunctos retinens.*

Ferrei, intractabiles,
Et rigida nimium corda!... Quanquam te
Levi,
Te care Simeon, vosque, si nondum excidit
Fraterna pietas tota, si superest amor,
Per ista supplex genua, quæ teneo, & meis

erfundo lacrymis; quam precor, veniam
date.
Negatis?... Ecquid flectitis retrò pedem?
Quid fugitis?... ah! si fixum & immotum sedet
Puerum immerentem perdere: unum hoc,
obsecro,
Annuite saltem; parcite innocuas pio
Maculare dextras sanguine!... en arens prope
Cisterna: ad imum fune demissus puer
Hîc pereat, oro, quando sic libitum est, fame.

LEVI.

Bene est, Rubene; quod rogas demum, potes
Hac impetrare lege, nihil ultra ut petas.

NEPHTHALI.

Properemus....

SIMEON.

Ite; ne sit effugio locus,
Aditus viarum cingite; hic ego cum Levi
Nemorum in latebris interim excubias agam.

RUBENUS.

Valete, jamjam redeo: vos facite interim,
Promissa nobis sedulò ut perstet fides.

SCENA IV.

SCENA QUARTA.

RUBENUS.

ABiere : cessit paululum evictus furor
Indomita flexi corda... sed quanto stetit
Inane munus ! conditum horrenti specu
Eripere ni te nostra meditetur manus ;
Heu ! te quid ensi barbaro ereptum juvat :
Miserum in latebris rabida dum perimet
fames . . . .
At, si repentè primus erumpat furor,
Puerumque jugulent . . . . fallimur, dicta est
fides,
Violasse pigeat.... ô amor ! ô quantos metus
Moves amanti !... quo ferar ? ...Judam ocyus
Adibo : non sic ille Josepho invidet ;
Ultroque tantum, spero, prohibebit nefas.

Finis Actûs primi.





ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

JOSEPHUS.

UBI ſum? .. morantes regio quæ fratres habet?
Vel quis receptos tam cito excepit locus?
Hæc terra Dothain, quam vocant . . . at nullus eſt:
Et nemora præter nil mihi ſe ſe objicit.
Nam quo ferar? quâ parte perquiram avios,
Deſertus, indefenſus? . . heu! ſi me occupet
Inhoſpita inter teſqua decedens dies;
Miſero quis adſit, quiſve perfugium paret?
Actum eſt; cruentis præda contingam feris.
Fit ſonitus . . . inde fremuit immitis leo,
Ferox vel urſus ſævIit . . . Fratres, precor,
Adeſte, Fratres ... Nemo reſpondet, tremor

Pervadit artus, gelidus & sanguis coit....
*Ecce, ecce, perii, gemina prorumpit fera;
Quid agam? vel ubi?... me me petunt...

* *Videt Simeonem & Levi prodeuntes è latebris, quos intuens, putat se feras videre.*

SCENA SECUNDA.

JOSEPHUS, SIMEON, LEVI,

Prodeuntes è latebris.

SIMEON.

Fratres vocas?
Adsumus.

JOSEPHUS

Eodem perculsus metu fratres audit, nec tamen videt.

Adestis?... igitur auxilium date...

LEVI.

Mora nulla....

JOSEPHUS.

Fratres audio; fratres tamen
Non video....

SIMEON.

Fratres non vides ? . . . apage hinc metus;
Quoſcumque ſimulas, ſubdole ac mendax puer ;
Et ficta mitte ſomnia . . . agnoſces brevi
Qui ſimus.

JOSEPHUS

Fratres videns & agnoſcens.

Oculos nam quis obductos malùs
Hebetabat error ! . . . parcite, illuſit nimis,
Senſuſque longè tenuit averſos pavor.
Nunc fratrum amicos nube depulsâ procul
Agnoſco vultus : monſtra fugere horrida ;
Me veſtra pietas, veſtra ſervavit fides ;
Nemorumque latebris retudit immanes feras.
Ah ! ſinite, Fratres, involem utriuſque in ſinum
Animique memoris, quas licet, grates agam.

SIMEON

Accedente ad ipſum Joſepho.

Omitte : procul hinc amove inviſum caput.

LEVI.

Accedente ad eum Joſepho.

Abominando me cave amplexu petas.

JOSEPHUS.

Punire, video, placuit injuſtos metus,
Quos ora fratrum blanda debuerant ſtatim
Pepuliſſe...timui, fateor, at facti piget;
Ignoſcite.

LEVI.

Imo, jam time; juſtas habes
Cauſas timoris; adſumus trucibus feris
Magis timendi.

JOSEPHUS.

Adeſtis, & quidquam reat
Mihi timendum? prodeat ſævus leo,
Urſuſve minitans adſit, aut acer lupus:
Ultro feroces provocem impavidus feras.

SCENA TERTIA.

JOSEPHUS, SIMEON, LEVI, GAD, DAN, NEPHTHALI, ZABULON, ISSACHAR.

ZABULON.

QUâ lapſus oculos luſit attentos via?

ISSACHAR.

Nihil moramur ; captus est tandem.

DAN.

Novas
Meditetur artes, verset astutus dolos,
Nostrasque fugere, si potest, tentet manus.

JOSEPHUS.

O placida demum fata! nunc fratres datur
Videre, nunc & jungere amplexus licet.
Jam pæne medii spatia sol obiit poli;
Ex quo per agros solus & saltus vagor
Cunctos requirens: agite, quo res sunt loco?
An læta vobis omnia? an gregibus benè est?
Memorate, fratres, obsecro: hæc patrem anxium,
Me, me ista dudum cura sollicitum tenet.

ISSACHAR.

Hæc scisscitari mitte; ni malè sit tibi,
Bene esse nobis, pervicax puer, haud potest.

ZABULON.

Placida fruemur sorte, cum meritis pares
Moriendo pœnas dederis.

DAN.

En tanto ambitu
Optata, Fratres, præda nunc tandem obtigit;
Quid adhuc morarum est?

GAD.

Nempe, dum ferrum calet;
Urgenda res est.

ASER.

Agite; quid torpent manus?

SIMEON.

Si nullus ambit inclytum facti decus,
Avidam ultionis primus extinguam sitim:
Nec ista lentos dextera in pueri caput
Librabit ictus.

GAD.

Facinus egregium occupa,
Generose Simeon.

NEPHTALI.

Morte dum merita cadat;
Nil interest, quacumque dispereat manu.

JOSEPHUS.

Vigilone? mentem ludit an mendax sopor,
Fratres?

ASER.

Et ista credit insulsus puer,
Quæ nos minamur, somnia.

ZABULON.

Actutum scies,
Quid vera inani somnio distent mala.

JOSEPHUS.

Heu me! quid egi? vel quod ulcisci nefas
Paratis?

NEPHTHALI.

Etiam crimen admissum, reor,
Negabit?

JOSEPHUS.

Ecquod, Nephthali, loqueris scelus?
Vel increpare parce, vel crimen doce.

ISSACHAR.

Crimen petis, superbe, dum fusos humi
Fratres, tuisque pedibus allapsos premens,
Cunctis verendum scilicet tollis caput?
Dum sancta violas jura, dum matrem & patrem
Pietatis osor impius subdis jugo?

JOSEPHUS.

JOSEPHUS.

Me, me impotentem cœca dominandi fames
Sollicitet ? & quem præpotens mundi arbiter
Cunctis subesse voluit, impatiens regi
Velim præesse ? testor arcanos sinus
Imasque cordis, qui videt latebras, Deum,
Ego si quid . . . .

LEVI.

Ista nempe portendunt nihil,
Quæcumque jactas, somnia ?

JOSEPHUS.

Hæc vobis metum
Fecere ?

ZABULON.

Saltem facere ne deinceps queant,
Moriere.

JOSEPHUS.

Frater id jubet ? fratrem emori
Ferat Zabulon ? fallor ; hoc refugit scelus,
Fraterna pietas.

ISSACHAR.

Fingere etiam nos putat,
Protervus !

JOSEPHUS.

Heu me!

ISSACHAR.

Nil querelis eſt opus;
Gemitus inanes pone.

NEPHTHALI.

Mucronem expedi,
Simeon; quid hæres lentus?

JOSEPHUS.

Ad genua accido,
Dilecte Simeon, voſque; per ſi quid, precor,
Supereſt adhuc amoris, aut ſi quid fuit,
Fratres, amicam rebus in miſeris opem
Annuite; fratris parvuli inflectat dolor,
Et iniqua moveant fata.

ZABULON.

Nequidquam rogas,
Ratum eſt: peribis.

DAN.

I, puer, patrem pete;
Et iſta, quæ mox vulnera excipies, refer
Delator.

JOSEPHUS.

Ah ! si quidpiam temerè excidit,
Nocens videri lingua, non animus potest.
Miserescite ; .. iterum liceat ad sacros pedes
Procidere, Fratres, supplicem, & tristes minas
Superate lacrymis... liceat...

NEPHTHALI.

Ah ! tandem sile,
Et morere : inani tempus alloquio teris.
Rem perage, Simeon ; ocyus ferrum, ocyus :
Puerum loquacem perime : dum medio tenus
Letale telum pectore immerges, ego,
Ne fortè nutet victima, aut ictum exeat,
Sistam, ac tenebo. Tu, Levi, fratrem adjuva :
Dextram parumper sustine.

GAD.

Hac vivum prius
Spoliare tunica liceat.... * Invisum exue
Sceleris nefandi munus.. hoc pretio juvat
Illinere turpem moribus fratrum notam,
Conviciator ?

* Ad Josephum.

JOSEPHUS.

Dederat hanc vestem Pater :
At nil morarum est , obsequor : tunicam
lubens
Depono ; triste pereat odiorum caput :
Et vestra pariter odia cum tunica queant
Perire !

SCENA QUARTA.

JUDAS, JOSEPHUS, SIMEON, LEVI,
ISSACHAR, ZABULON,
NEPHTHALI, GAD, DAN, ASER.

ASER.

Judam video :

SIMEON.

Ut optato advenis !
Facinus quod instat, te quoque actorem petit;
Nec cadere merito debuit leto puer
Absente Juda : commoda præsens manum,
Ferrumque gremio conde.

JOSEPHUS.

Tu potius mihi
Placare ; tu ſpes una : qui ſolus potes,
Arcere, frater, triſte ne pigeat malum.

DAN.

Etiam obloqueris, perfide?

JUDAS.

Hic ſiquidem nocens,
Reuſque mortis viſus eſt ; pœnas luat,
Mortemque ſubeat meritus: at puerum tamen
Violare ferro parcite ; hanc repetit fidem
Rubenus.

JOSEPHUS.

Heu! cur non ades, ſi nos amas,
Rubene, vel ubi es? tene ſic miſerum decet
Deſerere fratrem? Vos per abſentem precor,
Annuite veniam ſupplici & vitam date.

SIMEON.

Si non adactus pectori vitam eripit
Cruentus enſis, munus hoc fratris puta,
Et habe Rubeno gratiam: at brevis eſt mora:
Ciſterna peragat iſta, quod refugit manus:
Altoque clauſum ſub ſpecu perimet fames.

JOSEPHUS.

Sic parcitis ? . . . sic fratris afflicti piget ?
Hoc sibi Rubenus gratiæ apponat loco ?
Proh! sancta pietas ! . . . . Fratris ah ; novi
indolem ;
Nil tale jubeat, tale nil patiens ferat
Rubenus.

LEVI.

Erras, patitur; & factum approbat.

JOSEPHUS.

Et vos parentis cura nil, fratres, movet ?
An & ipse lentus discet admissum nefas ?
Vos per verendum rursus & sanctum precor
Nomen parentis, perque . . .

LEVI.

Cur patrem invocas
Moriture ; patris sancta quem damnat salus ?
Si vivis, esse genitor incolumis nequit.

JOSEPHUS.

Bene est, abunde est : fuerit in lucro mori ;
Dum patria constet sobolis exitio salus.
Quid misera placeat vita, si noceat patri
Quod vivis?..agite porro,quantumvis graves

Statuite pœnas, quidquid eſt, ultro feram.
Meliora vobis cardine hoc rerum ultimo
Tamen precabor; agite ſecuros dies;
Nil veſtra turbet gaudia: ereptos mihi
Placatus annos annuat vobis Deus.

DAN.

Vota hæc placent; ſed iſta debueras prius
Feciſſe vota.

SIMEON.

Nephthali, ſaxum amove;
Clauſumque pateat oſtium.

NEPHTHALI.

Nulla eſt mora;
Moles at illa gravior, ut ſolus queam,
Niſi vos adeſtis:

LEVI *ad fratres.*

Nos quoque hic ſpectat labor
Inſtemus operi pariter.

GAD *ad Nephthali.*

Hem, lævam tene:
Ego hic manebo; tu, Levi, dextram occupa.

ASER.

Aſt ipſe primum, qua lapis rimas agit,
Pedum inſeram.

NEPHTHALI *ad Aser.*

Eia, sequere.

ASER.

Conatum interim,

Dan, adjuva.

GAD *ad Aser.*

Urge.

LEVI *ad Dan.*

Sustine.

NEPHTHALI.

En aditus patet.

GAD, *postquam inspexit in cisternam*:

Depressa cavea, stupeis vinclis opus,
Queis illigatus ima pertingat puer.

SIMEON *solvens zonam.*

Hæc ipsa, frater, zona quæ cingit latus,
Confide, funis commodè implebit vicem.

GAD.

At illa, Simeon, brevior.

DAN *solvens pariter zonam.*

Adjungo & meam;
Amica nimium zona! meliores, reor,
Tu nunquam in usus servies.

LEVI.

Ades huc, puer.

JOSEPHUS.

Adſum :

LEVI *ad Joſephum.*

Lacertos tolle ... Dan, medio ſemel
Iterumque zonam pectori circum illiga.

DAN.

Peracta res eſt.

LEVI.

Duplicem in nodum utraque
Extrema coëant, nexus ut ſolvi queat,
Demiſſus imam quando contigerit ſpecum.
Vos hinc & inde, Nephthali, Simeon, Aſer,
Gad, Dan, cavete pendulum corpus labet.

SIMEON.

Ingredere caveam, puſio ; hîc tuto feras
Ridere poteris.

JOSEPHUS.

Ergo, fratres, ultimum
Valete.

SIMEON.

Tuque pariter extremum vale.



SCENA QUINTA.

JUDAS, SIMEON, LEVI, ZABULON, ISSACHAR, NEPHTHALI, GAD, DAN, ASER.

DAN *ad Gad.*

ACtum eſt : patentis claude ciſternæ oſtium
Ne quis viator forte lacrymantem audiat,
Puerumque miſerans flebili eripiat cavo.

ZABULON.

Nunc iſte, Fratres, haud levis reſtat labor;
Ne ſuſpicetur facinus admiſſum pater.

NEPHTHALI.

Si fortè puerum genitor abſentem petat,
Dicemus : illum dira laceravit fera.

JUDAS.

At vetera, Fratres, odia ſuſpectos dabunt.

ASER.

Infeſta monſtris regio præſtabit fidem.

JUDAS.

Sic faciat ! atenim ſuſpicax res eſt amor ;
Et verus ut ſit, vix ſibi imponi ſinat.

DAN.

Ne dubitet, hædi ſanguinem tunica ebibat ;
Cruenta ſpecies credulo illudet patri.

JUDAS.

Et tu parenti nuncium illætabilem,
Triſteſque miſeræ ſobolis exuvias feres ?

DAN.

Vel ipſe, vel quis alius, aut omnes ſimul.

JUDAS.

Ah ! frater, ah ! ne patrios quiſquam audeat
Subire vultus ; conſciæ mentis pavor,
Animuſque culpa plenus ut conſtet ſibi ;
Frons, vultus, oculi, lingua recludent
ſcelus.

NEPHTHALI.

Eſt in propinquo paſtor: hunc Hiram vocant:
Haud vixit illo melior aut ſimplex magis.
Ferat is parenti nuncium, & tunicam offerat
Tinctam recenti ſanguine.

JUDAS.

Hæc ipſi omnia
Peragite, Fratres ; interim mecum, Iſſachar,
Et tu Zabulon, oro, tantiſper mane.

SCENA SEXTA.

JUDAS, ZABULON, ISSACHAR.

JUDAS.

SAtin' furores animus explevit ſuos ?
Satiata numquid odia? num tetro in ſpecu
Fratrem perire, perfidi, immanes, feri
Patiemur ?... Ecquid, agite, Joſephum juvat
Quacumque pereat morte, ſi demum perit ?
An culpa noſmet levior, an quondam minor
Premet nocentes pœna, quod puero ferus
Pepercit enſis, ſi fames miſerum enecet ?
Siletis ! ... oculos tacitus inceſſit ſtupor ! ....
Factum improbaſtis, ſentio : haud fruſtra
impotens

Dum quisque diris fureret in puerum modis,
Uterque lentas crimine abstinuit manus.

ZABULON.

Equidem, fatebor, crimen infectum velim;
At jacta nunc est alea, & retrò pedem
Referre, frater, non licet.

JUDAS.

Cur non licet?

ZABULON.

Servare puerum si paras, quanto objicis
Fratres periclo!

JUDAS.

Quod mihi timidus canis
Augur periclum?

ZABULON.

Nempe seruatus puer
Celare factum, credis ut possit patrem?

ISSACHAR.

Sed esto; veterum frater odiorum immemor
Obliterari facinus invisum sinat:
At quas minatur iste dormitor vices,
Non fugimus; imo pandimus fatis viam,
Rursumque turpi colla subjicimus jugo.

JUDAS.

Confide ; tali, frater, occurram malo.

ISSACHAR.

Eloquere.

JUDAS.

Terras finite Josephus procul
Migret in remotas; patrios nunquam ut lares
Deinceps revisat. Luce sic per nos frui
Potis est, & omni liberat fratres metu.

ISSACHAR.

Referamus ista Fratribus.

JUDAS.

Saltem ah ! date
Certam experiri cardine hoc rerum fidem.

Finis Actûs secundi.





ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

JUDAS, SIMEON, LEVI, ASER, NEPHTHALI.

JUDAS,

ME me ista, Fratres, cura respectat; labor
Meus ille fuerit: fidus adsistam comes
Puero, remotas donec ingressus plagas
Rursum ad paternam regredi nequeat domum.

NEPHTHALI.

Periculosæ, Frater, hoc plenum aleæ
Opus est; maligni novimus pueri dolos
Quascumque tandem profugus in terras eat;
Brevi recurret.

JUDAS.

Ne time : occludam vias :
Vel si secundo vota successu carent,
Me genitor unum sceleris auctorem putet :
Huc vertat iras: perdat infandum hoc caput;
Unumque meritas ultor ad pœnas vocet.

SIMEON.

Absiste, Juda; vincis : haud ultra queant
Te stare contra, totque sollicitas preces
Jurata quamvis odia.

LEVI.

Grateur sibi.
Graviora meritus fata malesanus puer;
Et norit unde parta proveniat salus.

JUDAS.

Hoc vestra pietas meruit; & tanti memor
Josephus usque muneris grates feret.

ASER.

Et nullus utinam munus impensum luat
Proprii periclo capitis; & nimium pius
Non ipse fatis pandat ingratis viam.

JUDAS.

JUDAS.

Male ominari parce . . . cisternæ ostium
Recludo : vos * huc , oro , tantisper manum *Ad Aser & Nepht.
Ne commodare pigeat.

ASER.

An laqueos feram
Sic fugere ?

NEPHTHALI.

Durum est obsequi : obsequimur tamen.

SIMEON.

Dum Judas, Aser & Nephthali lapidem removent.

Nescio quid animus triste, funestum occinit,
Et abstinere tacitus incœpto jubet.

LEVI.

Hoc ipse pariter sentio ; at dedimus fidem.

JUDAS.

Josephe . . . * sta . . . Josephe . . . . *Ad Nephthali se inclinantem ut in cisternam introspiciat.*

JOSEPHUS *e fundo cisternæ.*

Nam quis me vocat ?

JUDAS.

Josephe . . .

JOSEPHUS.

Quis ades ?

JUDAS.

Ne time.

JOSEPHUS.

Eheu ! quid jubes ?

Dum morior.

JUDAS.

Imo vive :

JOSEPHUS.

Quis vitam imperat ?

JUDAS.

Judas.

JOSEPHUS.

Amicum nomen ! at fratres mori

Juſſere.

JUDAS.

Nil jam tale mutatis placet :

Fratri ſed ultro lucis uſuram annuunt.

SIMEON.

Dic, dic coactos potius.

JUDAS.

Ah ! Simeon, precor...

JOSEPHUS.

Id eſſe credam, Frater ?

JUDAS.

En fidei obſidem
Joſephe, dextram porrigo: oblatum cape
Funem, & profundo te ſpecu actutum eripe.

JOSEPHUS.

Parebo... funem teneo; ſi ſalvum cupis,
Redivivum in auras pertrahe. * *Retrahitur Joſephus e ciſterna.*

LEVI *ſeorſum prodeunte Joſepho.*

Inviſum caput
Aſpicio!

SCENA SECUNDA.

JUDAS, SIMEON, LEVI, ASER, NEPHTHALI, JOSEPHUS.

JOSEPHUS.

Rurſum lucis affulget jubar,
Nec ſpes ſalutis tota deluſum fugit!
Ah! patere amicam, Juda, ut amplectar manum;
Quæ me ſepultum mortis eduxit ſinu,
Blandumque vitæ munus indulgens dedit.

JUDAS.

Sunt illa fratrum merita quod vivis : tibi
Fraterna pietas parcit ; impenſam memor
Refer huc ſalutem , quamque promeruit , parem
Statim repende gratiam.

JOSEPHUS.

Antiquam fidem
Agnoſco : * vos & amoris hunc cumulum addite ,
Amica dextris pariter ut figam oſcula . . .*
Fugitis , & ora ſubtrahitis ?

* Accedit ad fratres

* Recedunt fratres , & ora vertunt,

SIMEON.

Apage hinc puer ,

LEVI.

Noli moleſtus eſſe . . . .

JOSEPHUS.

Non veſtras manus
Miſero oſculari liceat ? . . . . . heu me ! quid putem ?
Ah ! video , feci temere : non tales decent
Senſus nocentem. Debui infelix prius

Ad vestra cadere genua : supplicibus pedes
Rigare lacrymis : debui impressas solo
Prono osculari capite plantarum notas.
Ignoscite ultro , parcite : impensus favor
Amorque , Fratres , spiritus tantos dabat.

ASER.

Procul hinc , puer , facesse , nil tecum est
super
Commune nobis : amove incestas manus ,
Et abominandum deinde ne objectes caput.

JOSEPHUS.

Quid loqueris , ô Aser ? quale sollicitas ferit
Mihi fulmen aures ? . . . Itane mutatos ais ,
Dilecte Juda ? sic meus fratres dolor
Inflexit....heu me !..vita quid miserum juvet,
Nisi pulsus animis redeat , & constans amor
Inimica vincat odia ? Vel geminum , precor,
Cumulate munus ; alterum vel si ratum est
Auferre , utrumque rapite : .. nil leti piget :
Repetam latebras; vester haud potui hactenus
Vixisse , saltem vester hîc possum mori.



SCENA TERTIA.

JUDAS, JOSEPHUS, SIMEON, LEVI, ASER, NEPHTHALI, ZABULON.

ZABULON.

Vos si qua pueri cura sollicitos adhuc,
Fratres, remordet, lucis usuram date :
Ne deinde noceat, facere vel possit metus,
Dum vivet, ecce, credo, provisum est satis ;
Si consulentem sana non pigeat sequi.

SIMEON.

Effare :

ZABULON.

Votis ipsa sors aperit viam.
Ab Ismaëlis fortè digressus solo
Se se obtulit mercator Ægyptum petens,
Arabumque varias quas vehit portans opes.
Puerum ille pariter exteras secum ferat
Ducendum in oras ; hunc reor servum sibi
Ultro volensque coëmet.

LEVI.

O lætam nimis
Sortem ac beatam! valeat, & terras procul
Tandem in remotas profugus æternum exulet.

NEPHTALI.

Ubi, ubi est, Zabulon, ille qui collum premat
Puerique meritas vinculis oneret manus?

ZABULON.

Illum in propinquo, certa dum fratres dabunt
Responsa, retinet Issachar.

ASER.

Quin tu ocyus
Accersis; hæc est summa votorum omnibus,
Nos ut molesto puer hic aspectu levet.

ZABULON.

Reducem videbis postmodum, atque una comes
Mercator aderit.



SCENA QUARTA.

JUDAS, JOSEPHUS, SIMEON, LEVI,
ASER, NEPHTHALI.

SIMEON.

Ista debueras tibi
Non canere nobis fata, dormitor; vices
Mutamus; i nunc, disce servitium pati,
Herique patiens ferre dominantis jugum.

JOSEPHUS.

Parum exulare est nempe, servitium imperas?
Gens nostra, frater, libera; alienum nequit
Subire frenum.

SIMEON.

Viden' ut elatos puer
Magnisque dignos spiritus animis gerat!
Tamen, superbe, servies.

JOSEPHUS.

Domini pudet;
Non servitutis:.. agite: nil, fratres, moror:
Servire

Servire vobis liceat : æternam fidem
Accipite:quod vis promtus obſequium feram:
Nil deprecabor oneris, aut gravius querar,
Quem juſſa cumque veſtra famulatum exigant.
At cur amico fratrum ab aſpectu trahor ?
Cur & pudendos exteri juſſus heri
Subibo ? Tantum capite fraterno probrum
Eximite, Fratres, oro ; per quidquid pium eſt,
Per dulce fratris nomen . . .

LEVI.

Ah ! ceſſa obloqui :
Fratris nec ultra nomen uſurpes, cave.

JOSEPHUS.

Et hoc jubetis ? . . . obſequi ſedenim vetat,
Quæ nomen iſtud ſcripſit in corde altius
Natura.

LEVI.

Nos jubemus.

JOSEPHUS.

Eheu ! Dura lex !

LEVI.

Mox aderit emptor ;si tibi quemquam excidat
Vocare fratrem ; protinus linguæ impetum ,
Mors verbo in ipso plectet.

JOSEPHUS.

Ut sileam , tamen
Nec esse frater nequeo ; nec amorem licet
Abjicere fratris ; sæva quocumque egerint
Me fata , fratres usque præsentes geram
Animis , sub alto semper astringam sinu.

JUDAS *seorsum.*

Animosa virtus ! digna meliore indoles
Gaudere fato !

JOSEPHUS,

Tuque , supremum alloqui ,
Rubene, quando non datur, longum excipe,
Quod lingua tentat dicere absenti , vale....
[illegible] den [illegible] dam * Si nostrâ gravius fortè miseratus mala
Quandoque natum doleat extinctum pater ,
Te, care Juda, gratiæ hunc cumulum precor:
Lacrymas parentis reprime & luctus leva.

JUDAS *seorsum.*

Miserande juvenis !

NEPHTHALI.

Issachar prodit, redux
Sequitur Zabulon, atque Mercator comes.

SCENA QUINTA.

JUDAS, JOSEPHUS, SIMEON, LEVI, ASER, NEPHTHALI, ZABULON, ISSACHAR, MERCATOR.

ZABULON.

ADeste, fratres; commodum emptorem offero.

MERCATOR.

Salvete.

ASER.

Nos & pariter optamus bonam
Tibi salutem.

MERCATOR.

Quas decet grates fero.
Ubi ille servus?

NEPHTHALI *ad Josephum.*

Huc puer . . . jam tum incipe
Herum hunc vereri.

MERCATOR.

Vendere hunc servum lubet?
Quot natus annos?

ISSACHAR.

Lustra numeravit tria;
Quartum inchoare cœpit.

MERCATOR.

Haud constat satis,
Quod ferre domino tantula obsequium queat
Pueri juventus; quamlibet molem impares
Humeri recusent.

ISSACHAR.

More consueto facis;
Legum hæc tuarum prima, quod emendum datur,
Despicere.

MERCATOR.

Meritas absit ut puero velim
Detrahere laudes: sed age, num tales molam

Verſare poſſint, premere vel aratrum manus?
An ſi per agros fortè lanigerum pecus
Ducat, cruentos ovibus arcebit lupos?

ISSACHAR.

At ille domino majus obſequium ſuo
Major rependet. Interim tardos bene
Compenſat annos iſta quæ toto nitet
Diffuſa puero gratia; ut vultu pudor
Ingenuus, oculis caſta ſimplicitas natat!
Viden', ut ab ipſo blandus exſpiret lepos
Tacentis ore? plura ſed latitant tamen;
Animique dotes corporis vincunt decus.

MERCATOR.

Sic tu viciſſim more vendentum facis;
Majuſque rebus, quam licet, pretium arrogas.
Sed ecce jam ſol pronus oceano ruit:
Properemus: urbi proximæ redddi velim,
Nox ante toto quam fuget cœlo diem.
Ut multa paucis: offero ſiclos decem;
Meuſne puer eſt, dicite:

ZABULON.

Hoc pretio tuus?

Non duplicatam pendere ut summam pares,
Auferre puerum liceat.

MERCATOR.

An siclos placet
Accipere quinos insuper?

ZABULON.

Nil promoves.

MERCATOR.

Quid vana perdo verba? ... Bis denos dabo:

An ille meus est?

ZABULON.

Adde.

MERCATOR.

Nil addam amplius.

ZABULON.

Austerus emptor.

MERCATOR.

Frustra es.

SIMEON *ad Zabulonem.*

Ulterius piget
Hominem morari, Frater. I, puerum accipe;
Tuus est, tuumque tolle.

MERCATOR.

Vos pactos quoque
Accipite ſiclos, & dies longos; precor,
Valete.

NEPHTHALI.

Summo qui præeſt cœlo Deus,
Pharias tibi fortunet in terras iter.

MERCATOR *ad Joſephum.*

Et tu priores pariter abſcedens heros
Puer ſaluta.

JOSEPHUS.

Pareo: extremum mihi
Salvete: vobis gentis humanæ ſator
Cœlique rector unus, ac mundi arbiter,
Qui veſtram amicus uſque tutatus domum eſt,
Adſit; meiſque diſpares reddat vices!
Aſt ille veſter, ille tot fratrum parens,
Quem patris ipſe coluit & amavit loco
Joſephus, ævum placidus innocuum exigat.

LEVI.

Et nos precamur invicem, ut faciles tibi
Fortuna dominos ſemper & placidos paret.



SCENA SEXTA.

JUDAS, SIMEON, LEVI, ZABULON, ISSACHAR, ASER, NEPHTHALI.

SIMEON.

O Nos beatos! hoſtis æternum exulat
Nobis timendus.

LEVI.

Eſſe ſecuros licet,
Quid vana portent ſomnia.

ASER.

Haud deinceps domi
Delator aderit, cuncta qui referat patri.

NEPHTALI.

Proh! quale nobis, quam grave excuſſum eſt jugum!
Nunc vita demum placeat.

JUDAS.

O utinam diu

Placere, fratres, possit! admissum est nefas;
Sontes sed ultor sequitur à tergo Deus!

SIMEON.

Hæc canere fata parce.

ZABULON.

Sed quo Dan loco
Et Gad morantur?

NEPHTHALI.

Nempe commissas agunt
Uterque partes: hædulus vestem suo
Cruore tinxit: arte qua deceat patri
Jam ferre tunicam, credo, pastorem edocent.

ISSACHAR.

Fratres, Rubenum video.

SIMEON.

Simulato est opus.



SCENA SEPTIMA.

RUBENUS, SIMEON, LEVI, ISSACHAR, JUDAS, ASER, NEPHTHALI.

RUBENUS.

Tumulo e propinquo turba pastorum refert
Visum parentem. Mox reor coram assore.

JUDAS,

Mox genitor aderit ?.. cur sua cessit domo?..
Seorsum. Occidimus!

RUBENUS.

Hæc me cura sollicitum tenet :

SIMEON.

Fratribus innuens ut sequantur.

Fratres, eamus obviam.

JUDAS *seorsum.*

Ah! nemorum abdita,
Imosque, si quos terra secessus habet,
Potius petamus.

SCENA OCTAVA.

RUBENUS.

Unde præcipitant fugam ?...
Deus ipse, nostris, video, consiliis favet.
Instemus operi; dum facit genitor moram,
Fratrem e profundo dabimus ereptum specu.
*Aditus patescit... Itane dissimulant scelus?
Puerum evocabo; vocis agnoscet sonum.
Josephe mi, Josephe... Nil deinceps time:
Vox hæc Rubeni est...vive, sursumque evola
En tendo funes ... nemo respondet ... tremor
Quatit æger artus ... quodque præsentit, timet
Animus fateri..... Frater, eloquere; en Pater:
Josephe... Nemo est... verba quid perdo ?... patens
Cisterna, fratrum terror ac præceps fuga
An non satis loquuntur ?... actum est; occidit...

** Accedit ad cisternam quam apertam videt.*

Agnosco, fratrum scelere Josephus perît !..
Duri, feroces, perfidi, implacabiles,
Quo, quo fides, promissa, fas, pietas, amor
Cessere ? .... quamquam temet auctorem increpa,
Rubene; facinus hoc tuum.... an fratrem, impie,
Deserere decuit inter immanes feras?...
Heu me ! saluti dum tuæ invigilo acrius,
Ego te peremi, frater !... hoc credam tamen,
Quod nulla pietas, nullus inflexit dolor
Animos feroces ? ... Ibo patratum nefas
Scrutabor... At quis ille ? quid petit ?...

SCENA NONA.

RUBENUS, HIRAS,

Cum tunica Josephi cruentata.

RUBENUS.

O bone,
Quem quæris ? aut quo ? ....

HIRAS.

Quæro Jacobum ; tibi
Num fortè visus ?

RUBENUS.

Quid manu gestas ?

HIRAS.

Vide.

RUBENUS *tunicam aspiciens.*

Dubitas adhuc ? nec cædis agnoscis notas ?...
Satin' cruentam , barbari , explestis sitim ?
Huc parricidæ ferte sanguineas manus :
Etiam hunc cruorem fundite... Infelix pater ;
Quo luctuosum sobolis excidium tuæ
Luctu videbis ! .... Ipse quid agam ? quid loquar?....
Sceleris vel insons dicar admissi reus !
Nam quî refellam dicta ?.. me vivum obruat
Tellus dehiscens ima... me... genitor subit
Occidimus ! ... *Hinc , tu triste portentum amove :
Abscede.

* Ad Hiram.



SCENA ULTIMA.

JACOBUS, RUBENUS, HIRAS
cum tunica.

JACOBUS.

Nullis ſe mihi objiciet locis
Joſephus ? ubi, ubi natus abſtruſus latet,
Rubene ?

RUBENUS.

Non hîc viſus eſt, genitor.

HIRAS

Veſtem obtendens; quam ne videat Jacobus, inter utrumque medius Rubenus prohibet.

Vide...

RUBENUS *ad Hiram.*

Abſiſte.

JACOBUS.

Non eſt viſus ? huc miſſus puer
Tamen eſt.

HIRAS *veſtem oſtendens.*

Vide...

RUBENUS *ad Hiram,*

Tacebis?

JACOBUS *ad Hiram accedens.*

An referes nihil,
Amice pastor? ede responsum, doce:
Josephus ubi sit.

RUBENUS

Jacobum amovens, ne accedat ad Hiram propius, quem quantum potest occulit.

Genitor, aspectu abstine;
Per si qua pietas....

JACOBUS

Repugnante Rubeno accedens.

Cur reluctantem tenes?
Natum requiro...

RUBENUS

Recedens ad partem theatri Hiræ oppositam.

Heu!

JACOBUS *ad Hiram.*

Loquere; tun' nosti?

HIRAS *tunicam obtendens.*

Vide,
Si fortè tunica, quem petis, gnati hæc foret?

JACOBUS.

Tunicam accipit. Quid video? . . . . * ſolum hoc ergo de nato refers?
Hoc reſtat unum? . . . ſic patri miſero redis,
Infauſta ſoboles! . . . . Tunica Joſephi hæc fuit,
Agnoſco: ſimul & juge monumentum mei
Agnoſco luctus . . . . Turpis artifices doli
Hoc comparaſſe non pudet fratri ſcelus?
Huc perduelles recidit odiorum furor?
Ad Rubenum. * Aut redde natum, barbare; aut nato patrem
Adjunge.

RUBENUS.

Me, me ſceleris auctorem putas? . . .
Ille, ille ab alto qui vibrat fulmen manu,
Triſtes ad umbras mittat infandum hoc caput,
Si . . . .

JACOBUS.

Nam quis igitur eſt nocens, ſi tu innocens?

RUBENUS.

RUBENUS.

Hoc ipse facti pariter ignarus modo
Scrutabar.

JACOBUS *ad Hiram.*

Ecquis; fare, tibi vestem hanc dedit?

HIRAS.

Reperi jacentem, sustuli, obstupui, attuli.

JACOBUS.

Peto parricidam, pessime.

HIRAS.

Hoc prorsus latet:
Nisi forte puerum dira laceravit fera.

JACOBUS.

Natus cruentas sanguine explevit feras!
Nullusne tritâ pastor inventus viâ,
Qui bonus amicam tenderet nato manum?
Ubi tu, Rubene, lentus, ubi fratrum interim
Vecors inertes turba nectebat moras?
Ipse, ipse patria cur tuli imprudens domo
Exire puerum? mittere invitus quidem
Videbar; & seu fata Josephi ultima
Tacitum admonebant, protinus sensi malum.

Natum insequor, perquiro ; sed sero heu!
nimis :
Perierat, avidas paverat natus feras!...
Amice pastor, dic ubi excesum jacet
Pueri cadaver? ibo, relliquias legam,
Artusque laceros ultimùm amplexu fovens
Rigabo lacrymis : si qua nunc etiam fera est
Impasta, nostro sanguine exsatiet famem.

RUBENUS.

Ah! vive, genitor ; vel prius cunctos jube
Perire natos : possumus tecum mori ;
Ni vivis, ultra vivere haud ullus velit.

JACOBUS.

Heu! vita miserum, nate quid patrem juvet?
Quodcumque deinceps lucis invisæ traham,
Hoc sibi cruentus vindicat totum dolor ;
Novique crescent in novos luctus dies.
Tu magne cæli rector, Abramidum Deus ;
Humana solo fata qui nutu geris,
Ignosce, quidquid gravius infelix parens
Exprompsit! istas si patrem meritum vices,

Natoſque viſum eſt plectere ; en ultro obſequens
Vel ſævientem adoro & amplector manum :
Ac ſi piandum reſtat ulterius nefas,
Adſum, paratus quidquid ingruerit pati.

Finis Actûs tertii & ultimi.



